

Hermann Schuckmann    Theodor Jordan

## **Pro Seculari Memoria Pacis Religionis sancitae Anno 1555. Meditatio e Sacris De Pace**

Rostochii: Kilius, 1655

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740005820>


Druck    Freier  Zugang



R. U. Med. 1655

Schächmann, Hermann

Vert.: Jordan, Theodor



Benedicente  
PRINCIPE PACIS!  
Pro Seculari Memoriâ PACIS RELIGIONIS sancitæ  
Anno 1555.  
MEDITATIO è SACRIS  
DE

# PACE

Cum suffragio Venerandæ  
Facultatis Theologicæ in Acade-  
miâ Rostochiensi

*Præside*

HERMANNO SCHUCKMAN,  
Theol. D. & Professore

*Respondente*

M. THEODORO JORDANO,  
Luneburg.

*Examinanda publicè in Auditorio Majori, die XXIX.  
Decembris, Anno 1655.*



ROSTOCHII,  
Typis Heredum NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible text in the upper middle section, possibly bleed-through.

Faint, illegible text in the middle section, possibly bleed-through.

Faint, illegible text in the lower middle section, possibly bleed-through.

Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly bleed-through.

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock



**P**AX consistit in conjunctione conferente suum cuiq̄. Infert perfectionem cum felicitate. Et hæc vocabulis  $\epsilon\iota\omicron\psi$  &  $\epsilon\iota\phi\eta\eta$  significata, seu vera sit seu apprens, sine Pace non est.

II. Pax alia bona, alia mala. Illa in Deo, & à Deo, summo bono. Hæc à naturâ peccatrice, & in eâ, ut peccatrice.

III. Mala pax est conjunctio malorum in malis, mente, voluntate, affectu, verbo, opere; Sed cum confusione & inquietudine. Estq; partim Spirituum lapsorum; partim Hominum, qui Mundi nomine veniunt. Et quidem utriusq; Partis, tum inter se, tum alterius cum alterâ, *Luc. XI, 17. 18. Job. XIV, 27. C. XV, 19. I. Job. V, 19.*

IV. Affert felicitatem apparentem & securitatem à Judicio Dei temporariam. Cujus finis perditio est. *Psalm. CXLIV, 11, 12, 13, 14, 15. Psalm. LXXIII, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 17, 18, 19, 20. II. Petr. II, 4, I. Thess. V, 3.*

V. Pax Bona alia in Deo, alia in Creaturis sub gratiâ Dei conclusis.

VI. Pax in DEO non est pax vulgo accepta: Sed Trium Personarum, PATRIS, FILII, SPIRITUS SANCTI summa unitas, & hujus unius DEI tranquillitas, perfectio, beatitudo, simpliciter immutabilis ac infinita, adeoq; Pax eminentissima, *Job. XIV, 10. XVI, 14, 15. I. Cor. II, 10, 11, Jacob. I, 17. I. Tim. VI, 15, 16.*

VII. Creaturæ sub gratiâ Dei positæ, Pacis bonæ capaces, vel Angeli sunt, vel Homines.

VIII. Angeli in bono confirmati, pacem habent & stabilem & gloriosam, partim cum Deo in subjectione & obsequio, partim inter se in amore & ordinis divini observatione, *Psalm. CIII, 20 Job. XXV, 2.*

IX. Homines considerandi sunt in statu tum *Integritatis*, ubi Imago similis Deo, adæquatam Pacis principium fuit: tum *Reconciliati-onis*, quæ Pacem peccatis perditam cum sœnore reddit.

X. Pax Reconciliatorum alia est spiritualis, cœlestis, æterna: alia corporea, terrena, temporalis. Illa in interioribus primario: Hæc in exterioribus versatur. Prioris objectum principaliter DEUS, consequenter Exercitus Dei, seu ea quæ Dei sunt vi domini, tum absoluti ut omnes creaturæ rationis expertes, tum respectivi ut Angeli & Ho-

mines. Objectum posterioris sunt personæ & res in statu externo, temporario.

XI. Pax cum DEO vel apud Deum est *εὐδοκία* Dei in hominibus, & ex hac nata eidemq; per relationem mutuam respondens, *παρρησία* hominum in Deo; vi Reconciliationis per Christum, *Luc. II, 14. Eph. III, 12. Rom. V, 1, 10.*

XII. Reconciliatio consideratur ratione tum *αἰσώσεως* ( acquisitionis ) tum *χρησεως* ( applicationis ). Illa facta per mortem Filii Dei. Hæc fit per Verbum reconciliationis fide receptum. Utramq; conjungit Apostolus II, *Cor. V, 18. 19. 20.* Estq; Reconciliatio in applicatione re idem quod Justificatio, *Rom. V, 1, 9, 10.* Et hujus fructus Pax est *Jes. XXXII, 17, 18.*

III. Subjectum igitur tam habendæ quam retinendæ pacis proprium, sunt Justificati ex fide, habentes fiduciam in Christo, & per Christum ut mediatorem, in Deo, *Rom. V, 1. Jes. XXVI, 3.*

XIV. Fiducia hæc & consequenter pax apud Deum, nec cum desperatione, nec cum securitate carnali ( quæ impiorum ) consistit: *אין שלום אמר יהוה לר שעים* Non est pax, dixit Dominus, impiis *Jes. XLVIII, 22. conf. C. LVII, 19. 20. 21.*

XV. Cum Pace cohæret Gaudium ( non mundanum sed ) in Spiritu S. idq; usus Pacis. Noretur hic sequela Ordinis Divini. Nempe. Ex fide justitia est, ex justitia pax, ex pace gaudium. Et his absolvitur regnum Dei, *Rom. XIV, 17.*

XVI. Revelantur & offeruntur hæc Ministerio non Literæ sed Spiritus, non Legis sed Evangelii. Hoc enim, non illa, est *διανομία* τῆς δικαιοσύνης, *διανομία* τῆς κατανάλωσής, ejusdemq; objectum Pax est, *II, Cor. III, 9. C. V, 18. 19. Jes. LII, 7. Act. X. 36. Eph. II, 17.*

XVII. Modus constituendi Pacem consistit in Pacto vel Fœdere; ejus tenor hic est *Ero Deus tuus & seminis tui post te. Ero Deus illorum & illi populus meus. Ero ius Pater & ipsi mihi filii.* *Gen. XVII, 7. II, Cor. VI, 16, 18.*

XVIII. Mediatum ad ineundum tum confirmandum fœdus pacis sunt Verbum & Sacramenta, *II Cor. V, 19. I. Petr. III, 21. I, Cor. XI, 25.*

XIX. Principium, Quo pax intime perficitur, est Amor Dei in Christo, effusus in cordibus credentium, isq; fons amoris in Deum, *Rom. V, 5. VIII, 33. 34, 35. I. Job IV, 16. 17. 19.*

XX. Principium, Quod & perficit & obsignat Pacem, est Spiritus S. idemq; effi-

efficax per gratiosam inhabitationem & testificationem, Rom. V, 5. VII.  
15. 16. Eph. I, 13. 14.

XXI. Præsupponit Pax cum Deo Salutem ex Gratiâ Dei per meritum Christi. Includit tranquillam conscientiam & sufficientiam in Deo per Christum propitio. Infert gloriationem in tribulationibus & spe gloriæ Dei, Rom. V, 1. 2. 3. Atq; hæc paci Evangelicæ seu statui Reconciliationis propria sunt.

XXII. Pax Evangelica suo modo & certo respectu, tum propter meritum Christi, tum ob gloriationem in tribulationibus, nobilior est Pace primævi status Integritatis.

XXIII. Vocatur Pax Christi, quia per Christum parca, ab eo datur & in eodem custoditur, qui ob id Princeps pacis, Col. 1, 20. Eph. II, 14. Job, XIV, 27. Phil. IV, 7. Jes. IX, 5. Vocatur Pax Dei, quia Deum habet non solum objectum & autorem modo eminentissimo, sed finem quoq; & consummatorem, nec sine intimiori communione & operatione Dei supernaturali est aut esse potest. Hinc ὑπερέχουσα πάντων ἐν, ratione non comprehenditur, Col. III, 15. Phil. IV, 7.

XXIV. Ex Pace Dei cum Deo fluit Pax inter Homines, habens pro objecto tum omnes (non exclusis infidelibus & inimicis) quatenus communi Creationis & Redemptionis jure secundum articulum Symboli Apostolici primum & secundum continentur, tum singulari sanctificationis privilegio juxta tertium articulum donatos. Et inter Hos quidem mutua est & intima Pax, ob unitatem Spiritus & Corporis mystici, Marc. IX, 50. I, Theff. V, 13. Eph. IV, 1, 2, 3, 4, 5, 6. Inter Illos non item, nisi quod Sancti (ne carnis contentionibus amorem pacemq; Dei amittant) quantum in se, & quoad possibile est, cum omnibus hominibus pacem colunt, Rom. XII, 18.

XXV. Utramq; perficit Charitas, quæ vel Communis respectu omnium, vel Fraternalis, dicta Φιλαδελφία respectu Ecclesiæ & qui in eâ sunt fidelium, tum notorum tum ignotorum. Utraq; provenit ex amore in Deum, & hic vicissim ex amore Dei in homines, II, Pet. 1, 7. I, Cor. 1, 2, 3. Eph. III, 17. I. Job. IV, 9. 10. 11.

XXVI. Fundamentum ratione acquisitionis est Mors crucis Christi, abolens causam inimicitiae. Ratione applicationis est communio Evangelii pacis, annunciatæ tam iis qui procul, quàm qui propè erant. Utrumq; tollit distantiam Judæorum & Gentilium, eosq; in unum.

Corpus unumq; Spiritum coalescere facit *Eph. 11, 13, 14. 15. 16. item 16. 17. 18. seqq. Jef. LVII. 19. &c.*

XXVII. Ità Pace apud Deum, & quæ ab hâc separari nequit, Pace cum hominibus, maxime credentibus constitutâ; Sequitur pax, quam Ecclesia & singuli Sanctorum habent cum omnibus Creaturis etiam inanimatis & irrationalibus. Hæ enim non modo subjectæ sunt filiis Dei, & bono illorum cooperantur, ut ut nocere videantur, sed & patientibus compatiuntur, eorumq; liberationem anxie expectant, posthabito sui ipsarum interitu, *Job. V, 22. 23. 24. Rom. IIX, 19, 22. Quod arcanæ Pacis documentum est.*

XXVIII. Angeli boni, licet non sint membra militantis Ecclesiæ, vel electi ob meritum Christi (ceu qui non defecerunt à Deo): Sunt tamen partim custodes & ministri fidelibus destinati in terris; partim concives & confortes electorum in cœlis, cum similitudine gloriosâ, *Ebr. 1, 14. XII, 22. 23, 24.*

XXIX. Fundamentum istius Pacis est pacificatio vel reconciliatio facta per sanguinem Christi, quo homines cum Deo & inter se; Angeli verò non nisi cum hominibus reconciliati, & sic omnia, tam quæ in cœlis quàm quæ super terram, in unum collecta & ad unam, quasi summam reducta per Christum. *Eph. 1. 10. Col. 1. 20.*

XXX. Usus pacis Spiritualis est vel inchoatus vel consummatus. Ille referendus ad Regnum Christi, idq; mediatum. Hic ad regnum Dei ceu immediatum. Ille versatur in renovatione ad imaginem Dei; Hic in perfectâ conformitate. Ille in medio hostium certat. Hic omnibus abolitis triumphat. Uterq; verò respectu Electorum connexi unius Pacis nomine gaudent, quæ sine caret, *Rom XIV, 17. Jef. XXXII, 17. 18. C. IX, 6.* Cetera huc pertinentia exercitio Christianismi, & Gloriæ Supernæ transcribimus

XXXI. Subordinatur Paci Spirituali Pax externa, corporea temporalis, quæ respicit vel statum Secularem, eumq; tum publicum, tum privatum, & opponitur litibus, tumultibus, bellis secularibus: Vel Ecclesiasticum, estq; opposita persecutionibus Ecclesiæ tum antecedentibus tum subsequituris. Talis Pax est Pax Religionis inter Socios Augustanæ Confessionis & Pontificios in Comitibus Augustanis, auctoritate Imperiali condita & promulgata Anno 1555. die 25. Septembris. Cujus seculari memoriæ sacer est hic Annus 1655. isq; ob id Jubilæus.

XXXII. Pax utraq; externa, tam quæ liberum Religionis exercitium

tium directè conuenit, quàm ea quæ meritate commodis Ecclesiæ ser-  
uit orta ex pacato Magistratus Politici regimine, Donum Dei est, idq;  
cum precibus & gratiarum actione accipiendum, tenendum, usurpan-  
dum, *1. Tim. II, 1, 2. Psalm. CXLVII, 12 13. 14.*

XXXIII. Usus ejusmodi pacis Deo probatus, absolvitur ædificati-  
one Ecclesiæ, continuatione timoris Domini, & quæ cum his cohæret,  
multiplicatione consolationis Spiritus Sancti *Act. IX, 31.*

XXXIV. Multiplicatio consolationis præsupponit multiplicati-  
onem tribulationis, *II, Cor. I, 5.* Ab hac respirantes Ecclesiæ, dum pace  
externâ fruuntur, interiori consolatione divinâ copiosè à Spiritu S.  
perfunduntur, gaudentes ædificatione sui, in timore Domini. Ità  
persecutionis & refectionis datur vicissitudo.

XXXV. Abusus pacis consistit in securitate carnali, quæ à timore  
Domini recedit, ædificata hoc ipso destruit, solatium Spiritus Sancti,  
non nisi dolentibus vel tribulationum reminiscens, aut luctam in  
semetipsis sentientibus conueniens, extinguit.

XXXVI. Securitate invalescente præfert Deus persecutiones paci:  
Et his castigat, quos amat, ne cum mundo pereant.

XXXVII. Negatâ pace externâ, temporali, corporeâ; salva est  
Credentibus Pax interna cordis, pax Christi, pax Dei, eaq; æternum  
duratura. Et hæc in ipsis tribulationibus & persecutionibus virtutem  
suam exserit, & cum iisdem optimè consistit. *Joh. XIV, 27. C. XVI, 33.*

XXXVIII. De cetero ad prædicationem, Evangelii, bellum indicen-  
tis regno tenebrarum, juxta illud *רִשְׁתָּהוּ אֲרִיבָה Gen. III, 15.* consequun-  
tur, etiam inter ipsos carne conjunctissimos, dissidia, persecutiones, gla-  
dius *Matth. X, 34 35. Luc. XII, 49, 50. 51. 52. 53.* Et his probantur filii pacis,  
h. e. digni regno Dei, & ab indignis, secernuntur.

## CONSECTARIA.

I. Pax Dei non operibus nostris, sed unius Christi merito fide ap-  
pressenso debetur, *Rom. V, vers. 1. &c.*

II. Tollit incertitudinem salutis. Infert gloriationem in spe & tri-  
bulationibus, *Rom. V, 2. 3.*

III. Non affert indulgentias aut peccandi licentiam. Non pecca-  
toribus securis, sed contritis & ad Christum respicientibus medetur  
*Jes. LXXI, 1. 2.*

IV. Non

IV. Non contrungit conscientias iugo servitutis, accepta à Christo libertati repugnantis. *Gal. V, 1.* Libertas hæc comitatur pacem.

V. Non consistit Pax Evangelica in discrimine ciborum, non in observatione dierum, rituum, elementorum mundi; non in confecto ab hominibus cultu; *Rom. XIV, 17 Gal. IV, 7, 8, 9. Col. II, 15. 16. 17. 18. 20.*

VI. Nititur veritate Verbi Divini, non traditionibus hominum. *Gal. I, 8. 9. II, VI, 16.*

VII. Stare nequit Ministerium pacis Christi cum Nundinationibus Sacrorum. *Act. VIII, 19. 20. 21, 22. Matth. X, 7, 8*

VIII. Non subsistit cum primatu efferentis se ἐπὶ πάντι λέγομενοι θεόν, ἢ σεβασμοῦ, super omne quod dicitur Deus (uti Magistratus) aut res sacra, qui Antichristus. In Christo n. sicut constituitur sic & custoditur pax Dei, *Phil. IV, 7.* Illi subdita est Ecclesia ut capiti suo *Eph. V, 23. 24.* Effectus regnantis in corde pacis, est *πνευματικὴ εἰρήνη, Col. III. 12. 15.* Discipuli Humilitatis Summæ inveniunt requiem animarum. *Matth. XI, 27*

## QUESTIONES.


I. An pax vel fœdera cum hominibus diversæ Religionis sint licita? Affirm. Nisi vim faciant veritati & consequenter paci Evangelicæ spirituali.


II. An errores redargui possint salvâ pace? Affirm. Vel. Num. redarguens contradicentes veritati, si id fecerit per apodixin Spiritus, absq; carnali affectu, in timore Dei; dicendus sit turbator pacis? Neg.

III. An dissimulare liceat religionem ob pacem temporariam? Neg.

## Principi Pacis Gloria







tium directè concernit, quàm ea quæ me. are  
vit orta ex pacato Magistratus Politici regimin  
cum precibus & gratiarum actione accipiendu  
dam, *I. Tim. II, 1, 2. Psalm. CXLVII, 12 13. 14.*

XXXIII. Usus ejusmodi pacis Deo proba  
one Ecclesiæ, continuatione timoris Domini, &  
multiplicatione consolationis Spiritus Sancti *Ad*

XXXIV. Multiplicatio consolationis præ  
onem tribulationis, *II, Cor. I, 3.* Ab hac respira  
externâ fruuntur, interiori consolatione divin  
perfunduntur, gaudentes ædificatione sui, in  
persecutionis & refectionis datur vicissitudo.

XXXV. Abusus pacis consistit in securitate  
Domini recedit, ædificata hoc ipso destruit, so  
non nisi dolentibus vel tribulationum reminisc  
semetipsis sentientibus conveniens, extinguit.

XXXVI. Securitate invalescente præfert D  
Et his castigat, quos amat, ne cum mundo perea

XXXVII. Negatâ pace externâ, tempora  
Credentibus. Pax interna cordis, pax Christi, pa  
duratura. Et hæc in ipsis tribulationibus & perf  
suam exserit, & cum iisdem optimè consistit. *3*

XXXVIII. De cetero ad prædicationem, Ev  
tis regno tenebrarum, juxta illud **אֵינֶם יוֹשְׁבֵי**  
tur, etiam inter ipsos carne conjunctissimos, diffi  
dus *Matth. X, 34 35. Luc. XII, 49, 50. 51. 52. 53.* Et h  
h. c. digni regno Dei, & ab indignis secernuntur.

### CONSECTARIA.

I. Pax Dei non operibus nostris, sed unius  
pressenso debetur, *Rom. V, vers. 1. &c.*

II. Tollit incertitudinem salutis. Infert glo  
bulationibus, *Rom. V, 2. 3.*

III. Non affert indulgentias aut peccandi li  
toribus securis, sed contritis & ad Christum  
*3es. LXL, 1. 2.*

clesiæ ser  
ni est, idq  
usurpan

ædificati  
coheret,

riplicati  
um pace  
piritu S.  
ini. Ita

à timore  
s Sancti,  
actam in

nes paci:

salva est  
ernum.  
rtutem.  
VI, 33.

indicen  
sequun  
ones, gla  
alii pacis,

o fide ap

be & tri

pecca  
medetur

IV. Non

